# DE AMENORRHOEA.

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA**

QUAM

SUMMORUM IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORUM AUCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORUM CAUSA

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE X. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLX.

PUBLICE DEFENDET

**IOANNES BAPTISTA THEODORUS WEILER**

RHENANUS.

---

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:
BERNH. SCHULZ, DD. MED.
CARL REMACLY, DD. MED.
C. PELMAN, DD. MED.

**BONNAE**

FORMIS FRIDERICI KRUEGERI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

# M. E. A. NAUMANN

REG. A CONSIL. MEDIC. INTIM., EQUITI ORD. AQ. RUBR. IV CL., MED. ET CHIR. DOCTORI. MEDIC. PROFESS. PUBL. ORDIN., INSTITUTI MEDICI CLINICI ET POLICLINICI IN UNIVERSITATE FRID. GUILELM. RHEN. DIRECTORI, COMPL. SOCIET. SODAL. ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

**D. D. D.**

AUCTOR.

# DE AMENORRHOEA.

Anomalorum mensium vera pathologia therapiaque certo inprimis iudicio de natura momentisque gravioribus normalis functionis necesse est nitatur. Quam proprietatem menstruorum sexus muliebris quae causae efficiant, usque ad hanc aetatem non satis intellectum erat, quantumvis magna exstet multitudo diversissimarum opinionum, quas irritas atque inanes esse nostro demum tempore, postquam physiologia tantos progressus fecit cognitum et exploratum est. Quamobrem operae pretium esse videtur, priusquam de re ipsa agamus, doctrinarum physiologicarum, quae nostra aetate plurimum valent, brevem conspectum praemittere.

Menstrua mulieris nonnisi circumscripta terminis quibusdam aetatis parte apparent habentque ab pubescente exordium, finem a decrepita. Utrumque temporis momentum etsi non incidit apud omnes in eundem aetatis annum, hoc tamen certum est pubertatem, quo prius incipiat, eo maturius exhauriri.

Initium autem exitusque eius temporis, quo menstrua prima ineuntem vitam sexualem portendunt, adstricta sunt conditionibus quibusdam et exteris et singularum mulierum propriis. Inter illas inprimis numerandi sunt victus et ingenii morumque cultus. Etenim ut exemplum proferamus, satis notum est serius apparere catamenia in rusticis puellis, quam in urbanis, quae sedendo magis adsuetae, ingenio prius excultae ideoque moralibus instinctibus maiorem in modum

sunt expositae. Ex conditionibus exteris maximam vim habet coelum, quandoquidem exploratum est, maturius fieri profluvium in locis calidioribus, in frigidioribus serius. Atque in his quidem primorum mensium tempus solet incidere intra decimum et duodecimum aetatis annum, in illis intra duodevicesimum et vicesimum unum, in nostris denique regionibus plerumque apparent quintodecimo anno vel sextodecimo. Hae vero coeli natura adductae proprietates universae corporis constitutionis ne illo quidem mutato extinguuntur. Quod ex hoc potissimum intelligi potest, quod etiam in regionibus septentrionalibus in Iudaeis profluvia menstrualia aetatis anno iam tertio decimo provenire.

Quod ad id temporis spatium pertinet, quo sanguis effunditur menstrualis, varium id quidem in singulis est, apud plurimas quattuor vel quinque dierum, in nonnullis unius solum vel duorum, in paucioribus denique octo dierum. Neque minus variat copia sanguinis in singulis catameniis profluentis, quattuor plerumque sexve unciis aestimatur.

Qualis sit sanguis ille effusus, nondum accurate a chemicis examinatum atque cognitum est. Aliquantum ille quidem differt a normali venarum sanguine, quod maxime efficitur muco admixto; magis praeterea densus, pituitosus, subniger est maioremque habet vim ac proprietatem alcalicam, quam venarum sanguis, ex microscopo quum spectatur, praeter rubras multae etiam albae sanguinis cellulae conspiciuntur, quae utrum ad sanguinem an ad mucum pertineant, adhuc in dubio est, multae denique cellulae epitheliales semper inveniuntur; quantum fibrini sanguis menstrualis contineat, num omnino desit, an aliquantulum insit, pro certo affirmari nequit.

Diu erat dissensio de fontibus sanguinis profluentis. Observationes in sectionibus uterique prolapsibus institutae tandem aliquando docuerunt membranam uteri mucosam eum esse locum, unde profluvium illud oriatur. Neque vero,

quomodo ad superficiem uteri sanguis perveniat, pro certo scimus. Vasis id fieri diruptis simillimum veri necdum tamen observatum est.

Restat denique, ut de iis, quae longe gravissima sunt, i. e. de causis atque genesi menstruorum. Omnibus temporibus, quod supra diximus, et medici et physiologi summo opere elaboraverunt, ut naturam atque genesin illius profluvii ad doctrinae rationem illustrarent neque profecto negari potest ingeniose acuteque multa esse prolata. Quarum sententiarum unam commemoravisse sufficiat, cui qui addicti erant — multi autem haud immerito eam sequebantur — putabant referenda esse menstrua ad liberum quoddam acidum sanguine excedens. Nostra demum aetate aliquid, quod iam antea multi erant suspicati, verum certumque cognitum est. Exploratum enim habemus illud profluvium sanguinis constantibus intervallis in mulieribus ad pubertatem progressis recurrens tantummodo proficisci ab ovulo maturo ex folliculo Graafiano sponte ac certis temporibus proveniente. Quod hoc modo se habet: quarta quaque hebdomade maior fit motus vitaque in ovariis humanis, qua folliculi una cum ovulis nova capiunt incrementa et unum plurave ovula maturata, cellulas dehiscentes ubi reliquerunt, aut miscentur cum spermate, aut sine effectu omnino abeunt. Maior ille motus eodem tempore oritur in reliquo apparatu sexuali. In utero mutatur membrana mucosa idoneaque fit ad ovulum recipiendum, vasa turgescunt, glandulae utricales patescunt et magis magisque secernunt. Haec ubi frustra sunt, ovulo non congrediente cum spermate, necesse est uterus hanc abundantem materiam exinaniat. Hoc ipsum autem fit menstruali profluvio.

Quas ob causas constantibus quattuor hebdomadum intervallis menstrua appareant, non satis quidem cognitum est, hoc vero pro certo potest affirmari, accretionem ac deminu-

tionem lunae ad temporis illa intervalla nihil omnino pertinere, cui opinioni maiores nostri erant addicti.

Postremo denique paucis mentionem faciamus signorum initium catameniorum plerumque indicantium, quorum quae proficiscuntur ab apparatu sexuali molimina menstrualia appellari solent. Eorum igitur, quae sanguinis profluvio anteire solent, haec potissima sunt: dolores quidam superiorem femoris partem vel regionem sacralem perambulantes propriusque caloris sensus atque turgor in inferiore pelvis regione. Praeterea observant saepius tenacis muci copiam, quae variis rebus aut minuitur aut augetur, secerni, haud raro mammae tumescunt ac doloribus, qui ut celeriter apparent ita dilabuntur. Omnia denique ostendunt in toto sexualium apparatu maiorem commotionem atque irritabilitatem intrasse.

Ceterum omnia etiam reliqua corporis organa vexantur similibus doloribus, quorum saepissime oriuntur et sollicitationes tumultuosae vasorum et affluxus sanguinis in omnia viscera sese effundentes; itaque palpitatio cordis et respiratio coarctata semper fere adsunt. Neque minus nervorum organa patiuntur; animi et corporis languores, spasmi, convulsiones, vertigines menstruorum tempori praeeunt; interdum etiam mirae quaedam ac singulares cupiditates desideriaque, quae vocantur idiosyncrasiae, observantur. Mutari etiam solet eo tempore mulierum habitus, lividus est vultus oculi languidi caeruleoque circulo circumdati. Coniunctiva sanguinis affluxu rubefacta, temperies cutis alia est, vox rauca et aspera, tristitia denique crebrius serenitate invenitur. Haec igitur omnia aliaque id genus satis docent men sium appropinquantium tempus maxime proprium summoque momento esse mulieri.

Sed de normalibus mensibus satis introductionis loco dictum videtur. Transeamus iam ad unam ex gravissimis frequentissimisque menstruorum anomaliis, quae amenorrhoea

vocatur. Quum vero haec disputatio longa esset, si ageremus de omnibus amenorrhoeae formis, praemonemus, ut mensium emansio, quae apparatu sexuali commutato, ut atresia vaginae vel tumoribus uteri et multis aliis, perficitur, et amenorrhoea quae in sanguine vitiose mixto, ut chlorosi, causam habet, negligantur.

Amenorrhoeam dicimus in universum mensium emansionem eo tempore, quo exspectantur. Cuius anomaliae multae variaeque formae sunt, quarum de quattuor solum nobis propositum est disputare. Ac primum quidem agemus

I. de retentione mensium annis pubescentibus,

II. deinde de cessatione ac suppressione eorum in muliere ad pubertatem progressa

III. tum de amenorrhoea climacterica

IV. postremo denique de amenorrhoea apud vicarios menses.

Inconsultus ac praeproperus est, si quis quamcumque amenorrhoeam morbum esse statim removendum putat, priusquam accurate studioseque eius causas et signa examinaverit. Facillime prima, quod supra diximus, amenorrhoeae genere in eum errorem induci quispiam potest, ut nimiam vim tribuat annis, qui ut non plane omittendi, ita tamen non soli respiciendi videntur. Nec raro accidit, ut quum per totam vitam numquam apparerent menstrua, nihilo tamen minus valetudo integra maneret perpetuo ac generandi potentia prorsus normalis esset. Quamobrem disputabimus posthac de iis solum amenorrhoeae generibus, quae molestias maloraque efficiunt.

# DE CAUSIS.

Ea, quae primis mensibus obstant eosque retinent, ad universi corporis vigorem et solito maiorem et minorem reduci possunt. Hoc usu venit rusticis puellis optimo habitu, irritabili constitutione, magna animi vivacitate ac robusto corpore, quarum vis actioque vitalis victu excitante, difficilibus laboribus, multa corporis agitatione animique affectibus magis etiam augetur atque cumulatur. In his igitur iisque, quas dicimus viragines, menstrua sero demum apparent, quapropter multis etiam et variis vexantur molestiis. Illud autem, quod crebrius est, contingit iis, quae ex asthenia, quam dicunt, laborant. Haec vero aut oriunda in ineunte aetate, veluti ex scrophulosi et rachiti, irritabili postea ac debili constitutione apparet aut adducebatur perversa educatione ac victu, morbis corpus infringentibus, magnis haemorrhagiis perpetuaque saniei profusione. Quae omnia efficiunt, ut congestiones ad apparatum sexualem, quantum opus est, fieri nequeant.

Accedit tertia causa non praetereunda, quae posita est in iis rebus, quae vim directam exercent in genitalia. Huc referenda sunt onania, fluor albus et cohabitationes praematurae, alia id genus, quae irritabilitatem genitalium imminuunt hebetaque reddunt ad suam functionem.

In enumerandis mensium retentorum causis postremo non omittendun videtur exteris etiam quibusdam rebus maximeque inter eas frigore primam menstrualem actionem fortasse incipientem impediri posse.

Suppressorum paullatim in muliere antea constanter menstrua profluviorum genitalium, quae sint causae, pro certo dici nequit. Quod ex eo apparet, quod eorum, qui de

hac re scripserunt, alii in alias sententias discedunt. Permulti sunt, qui vim continuam rerum noxiarum corpusque debilitantium, quibus functio uteri coerceatur, primariam causam esse dicunt. Alii cogitant de proclivitate congestionum in alia corporis telas emanantium, alii causam tribuunt torpori in uteri vasis orienti. Omnes autem, quamvis varias proferant sententias, consentiunt hoc amenorrhoeae genus non per se malum esse, sed indicium tantum ac signum alius morbi imminentis.

Earum causarum, quae subitam mensium suppressionem afferunt, potissima est vis frigoris, praesertim quum pedes, genitalia mammasque afficiat. Praeterea vehementibus animi affectibus, ira, aegritudine, terrore, quin etiam subito ac turbulento gaudio fit, ut profluvium menstruale haud raro consistat. Haud minus nocet interdum cohabitatio eo tempore, quo catamenia profluunt. Parem vim habent nimia alimenta in ventriculum recepta.

Amenorrhoea climacterica plerumque efficitur praematuro marasmo corporis muliebris, qui observatur post multos ac brevi subsequentes partus aut crebras sanguinis profusiones, turbatas digestiones, alias anomalias. Neque infitiari quisquam potest hanc amenorrhoeam contineri interdum gentili quadam proprietate innata.

Restat denique, ut inquiramus, quid efficiat, ut interdum non ex genitalibus, sed in alio corporis loco effundatur sanguis menstrualis. Nostrae aetatis sententia haec est: consistunt sanguinis illa profluvia, quae proveniunt ex corporis partibus cum apparatu sexuali non cohaerentibus in anomalia telarum ad haemorrhagias proclivi, quae posita est aut in nimia vasorum abundantia aut diruptione facile effecta et tenuitate. Quoniam autem cum periodica ovuli separatione plus minusve vehemens vasorum commotio coniuncta est, perspicuum atque evidens, sanguinem magis compressum ac celerius sese moventem facile in loco minoris resistentiae viam sibi extra munire.

Sanguis ille profusus necesse hyperaemiam incipientem membranae uteri mucosae reprimat. Ita fit, ut profluvium ex genitalibus provenire nequeat.

# DE SYMPTOMATIS.

Magna valetudinis perturbationum varietate, quae amenorrhoeam subsequuntur, ac modificationes, quae propria uniuscuiusque natura efficiuntur, ut singula symptomata possemus melius secernere, coacti sumus, hanc dispositionem hoc loco optimam aestimare. Etenim nobis in animo est, primum disputare de incommodis, quae valetudinem quidem corporis interpellant neque tamen signa veri morbi cuiuslibet sunt; deinde de propriis singularum partium morbis, quorum qui corripiunt genitalia, distinguendi erunt ab iis, qui cetera corporis organa tentare solent. Ex iis symptomatis, quibus sensus valetudinis universus, ut ita dicamus, perturbatur, maxime eminent dolores caput afficientes, qui paene nunquam absunt mensibus deficientibus, ac modo in fronte sentiuntur, modo in occipite; modo ad congestivam, modo ad nervosam naturam illi quidem propius accedunt, quum antiphlogosi aut evanescant aut non evanescant. Neque raro coniuncti sunt cum iisdem vertigines, aurium sonitus, tremor ante oculos coruscans Aliud constans idque molestissimum signum est dolor in regione sacrali et in pelvi oboriens, qui in partes alias propinquas diffunditur. Stando etiam interdum dorsum totum similibus doloribus afficitur eodemque modo processus spinosi, ita ut ne minima quidem compressio perferatur. Haud raro pectus comprimi aegrotae sibi videntur, ad quod accedere solet globus hystericus.

Observantur praeterea tumores mammarum, abdomen in tumescens ac durum tactu; denique dolores in regione ventriculi aegrotas magnopere cruciare solent.

Crebro etiam sanguinis circulatio anomala nec constans est; febres plus minusve ardentes accedunt, caput ardescens doloresque pulsantes; manus pedesque frigidi; arida modo cutis et dura, modo humida ac visca; plerumque pulsus mutabilis. — Aegrotae depressae sibi videntur et fatigatae; queruntur de hebetibus in femoris musculis doloribus; dormiunt valde exagitatae aut quum satis dormierunt, non recreatae sunt. Validus habitus mulieris aegrotae evanescit, ipsa debilis et infirma; visus pallidus, oculi languidi ac caeruleis marginibus circumdati. Semper denique accidit, ut animus simul etiam cum corpore afficiatur. Tristitia enim afflicta est atque in tetricis imaginibus versatur; solitudinem petens lacrimatur sine causa ac saepe memoria labitur. At contra etiamsi raro, mirum in modum hilares et serenas esse mulieres illo morbo implicitas observatum est.

Initio morbi omnes illae molestiae numquam adsunt nisi catameniorum tempore; quorsum deinde res sit evasura incertum est. Etenim si menses apparent morbi symptomata paulatim decedunt, sin minus, in dies ille ingravescit; molestiae fiunt ampliores nec iam periodicae sed continuae sunt.

Si in quo corporis organo irritatio perpetua locum tenet et ita mutationes pathologicae in illo oriuntur, sive effectus sive causa amenorrhoeae, quod saepe incertum est, incommoda, quae supra enumeravimus recedunt pendereque a parte illa correpta solent. Necesse inprimis in genitalibus ipsis effectus vel causa functionis impedimenti posita sit.

Apparere solet saepissime, quum sexualia affecta sunt ex genitalibus fluor mucosus, qui loco profluvii menstrualis provenire prius putabatur aut oriri ab asthenia quadam pelvis partium sexualium. Nostro autem tempore omnes fere

consentiunt, proficisci eum ab inflammatione uteri, quae subita suppressione mensium emanantium acutae, paullatim remittentium, chronicae naturae est.

Sic in prima forma morbus apparet; plerumque initium capit a molestissimo quodam sensu languoris ardorisque in pelvis regione, qui dolor multo aut brevi post vehementior fit in regione hypogastrico et sarrali ac coniunctus esse solet cum dysuria vexanti et tenesmo. Haud raro morbum indicat horripilatio totum corpus concutiens, quem subsequitur stadium caloris sudorisque ac pulsus acceleratus, apud multas acceduut vomitus frequentes ac plures alvi evacuationes serosae, quas vero excipiunt paulo post obstructiones; et uteri compressio per integumenta abdominis adhibita et portionis vaginalis fornicisque vaginae contactio vehementes afferunt dolores.

Quod si quis per vaginam exploraverit, temperiem et genitalium exterorum et vaginae multo ampliorem esse inveniet, huius parietes admodum siccos aut muco visco oppertos; brevior et grassior est portio vaginalis atque orificium uteri in foveam rotundam et exiguam mutata. Per anteriorem parietem vaginae anormalis, tangendo dolens, tumor cognoscitur, cuius amplitudo dependet a maiore vel minore morbi vehementia.

Multo autem mitius chronica amenorrhoeae forma procedit, quae oritur paullatim, ex menstruis remittentibus. Ne in hoc quidem genere desunt sensus ille languoris ac dolores pelvis regionem perambulantes coniuncti cum stranguria, constipatione ac muci fluore aut modice aut abundantur ex genitalibus profluente. Attamen hae molestiae nonnumquam perquam vehementes fieri possunt et hoc quidem inprimis fieri solet in stando et ambulando atque in omni corporis commotione, et in sternuendo et in tussiendo. Solent praeterea aegrotae queri de molesta quadam prurigine vel ardore vaginae exterorumque genitalium; quae omnia,

si maior fit serretio membranae mucosae, increscunt, si minor, evanescunt. Explorando interdum hac in morbi forma uterus amplior invenitur. Plerumque inflammationes uteri ea via procedunt, quam modo explicavimus; nec raro tamen accidit, ut magis magisque tali modo increscant, ut aegrotarum vita in summo discrimine ac periculo versetur. Subsequuntur quoque haud raro alii morbi, inter quos eminent permanentes telarum - structurae mutationes, adhaesiones, suppurationes. Praeter illas uteri inflammationes aliae affectiones: exanthemata, neoplasmata multaque alia observantur.

Quod attinet denique ad hoc, quod organa eum apparatu sexuali non cohaerentia, in amenorrhoea afficiuntur, satis docent, quae scripta habemus de hac re, nullum esse organum praestans, ne partem quidem ullam corporis, quae menstruali profluvio impedito irritari vel corripi non possit. Quoniam autem in hac disputatione non omnes, quae in libris afferuntur affectiones, enumerari possunt, satis erit gravissimas et frequentissimas commemoravisse.

Inter praestantissima organa nervi saepissime affici solent; neque enim obliviscendum est, apud plurimas mulieres nervos menstruorum tempore maiorem in modum irritabiles esse. Unde facile apparet vim adversam statim in partes nervorum centrales flectere; atque praeter inflammationes earum haud raro paralysis, quae dicitur, certarum cerebri regionum aut medullae spinalis oriri solet. Huc referenda est impotentia loquendi, saepe iam observata post subitam mensium suppressionem, accidit praeterea aliquotiens, ut surditas, amaurosis menstruorum repulsionem sequantur, quae vero, mox illis restitutis, iterum recedunt. Inter nervorum affectiones denique mentione digna est epilepsia, quae originem ducens a mensium retentorum tempore ut illi quattuor heb domades tenere solet ac quum contigit cura, profluvium revocare, postea prorsus dilabitur. Literis etiam pro certo ac

comperto traditum est in maniam incidisse aegrotas nonnullas, quae artissime cohaerere videbatur cum suppressione menstruorum.

Secundum post morbos, in variis nervorum regionibus sese ostendentes, locum obtinent affectiones organorum in thorace sitorum, quae sunt: pericarditis, endocarditis, pneumonia, pleuritis, phthisis florida, deinde morbi abdominis viscerum, qui sunt: peritonitis, catarrhus et ventriculi et intestinorum, hyperaemia et hepatis et lienis, ascites, aliaque mala, quae omnia utrum efficiunt an sequantur amenorrhoeam, non semper facile est ad distinguendum.

Mirabilius est, si tegumenta externa mensibus deficientibus corripiuntur, ubi non solum inflammationes et exanthemata, illae affectiones cutis propriae, sed etiam coloris immutationes mirae maculis provenientibus, quae certis temporum intervallis alium colorem accipiunt, ac singulares quaedam et rarae metamorphoses accedunt.

Diversissimorum illorum morborum origo pendet ab unius cuiusque natura. In universum tamen hoc valet, in puellis, feminis iuvenilibus mulieribusque inflammationes et affectiones nervorum systematis, in senescentibus mutationes organicas apparere solere.

Restat denique, ut paucis mentionem faciamus vicariorum mensium. Quod ad illos pertinet, literis res innumerae, maxime mirabiles et prorsus incredibiles nobis sunt traditae, praecipue ab auctoribus, qui talia curiosa colligere solebant.

Sanguinis profluvia devia oriuntur plerumque e pulmonibus et intestinis: haemorrhagiae enim pulmonum et sanguinis e recto evacuationns saepissime observantur; nec minus eaedem ex membrana mucosa narium, cavi oris, vesicae, mammis, canthis oculorum auribusque, et si in ulla parte et cutis et membranae mucosae ulcus adest, ex hoc proveniunt. Quo fit, ut chronica pedum ulcera eo tempore, quo menses suppressi apparere debent, maiorem afferant dolorem, exar-

descant et intumescant, venae proximae turgescunt sanguine ac postremo profluvium fit haud parvum ex ulcere. Item possunt vulnera catameniorum tempore forte allata haemorrhagiam edere. Sunt etiam, qui sudorem sanguineum sese observasse dicant. Nullum denique organum est, ex quo menstrua vicaria profluere non possint, quamquam negari nequit illa profluere ex iis praecipue partibus, quae ad profusiones sanguinis declinare solent. Tempora, quibus redire solent illa catamenia vicaria aut consentiunt aut, quod plerumque fit, diversa sunt a typo menstruorum. Praeire solent dolores quorundam organorum, universi corporis irritabilitas moliminaque menstrualia.

# DE DIAGNOSI.

Mensium retentorum diagnosis non semper facile est statuenda, quum in magna temporis varietate, quo menses primum apparere solent, saepe difficile sit discernere, utrum symptomata reducenda sint ad menstruorum emansionem an sponte exorta sint; neque enim, quod iam supra diximus, ex puellae aetate nobis coniicere quidquam licet. Constantia diagnosis sine dubio statuendae praecepta non exstant ideoque iudicii est uniuscuiusque medici, quid valeant symptomata quidque intercedat inter ea et menstruorum emansionem exquirere atque constituere.

Si pubertas bene constanterque excolitur, semper mensium emansio acurrate respicienda est habendaque anomalia, quae, ut removeatur, plurimum interest. Facilior certiorque diagnosis est, quum symtomata quarta quaque hebdomade maiorem vim et impetum adipiscantur vel etiam indicia mo-

liminum menstrualium appareant. Pari modo diagnosis cessantium in muliere catameniorum multis variisque difficultatibus est obstructa. Etiamsi constat emansionem a muliere animadverti, tamen semper est dubium, utrum secundum naturam an mutationibus pathologicis menses sint impediti, et si his, quibus quotiescumque morbis oriatur amenorrhoea. Permutationis physiologicae, i. e. graviditatis primum indicium esse solet emansio catameniorum; quamdiu igitur certa eorum signa non adsunt, saepissime versatur in dubio, utrum gravida sit mulier an ex amenorrhoea laboret. Si certae causae, quae illam efficere possunt, adfuerunt statimque affectiones conspiciuntur, quae habendae sunt mensium suppressorum effectus, praetereaque graviditas non verisimilis est, amenorrhoeam adesse pro certo statui potest. Symptomata autem crebro similia sunt signis graviditatis neque saepe possumus causam mali reperire, ut, quid tempus diceat, exspectandum sit. Posteaquam autem esse amenorrhoeam cognovimus, restat, quod multo gravius est, ut etiam causas exquiramus, de quibus saepius certiores nos fieri non posse summopere dolendum est. Ambigitur interdum, utrum amenorrhoea proficiscatur a mensium suppressione, an universi corporis immutatio eiusmodi intervenerit, ut sublatio profluvii non nisi prodesse illi possit; deinde num sanguinis praeterea secretio impedita sit quidquid effecerit.

Saepe etiam quum alii morbi in organismo insunt ignoramus, utrum illi effectus an causae an fortuitae complicationes amenorrhoeae sint.

Mensium subito suppressorum diagnosis sine ullo negotio est, quum aegrotae vel earum propinqui, quantum scire opus est medicum, indicant. Sin autem anamnesis deest malumque iam per multum tempus duravit, non semper satis certe res cognosci potest. Aetate decrepita quum menstrua solito prius remittuntur haec plerumque anomalia physiologica nec morbi indicium habendum tractandumque est, quum

ita nocere facilius, quam prodesse quispiam possit. Diagnosis in hoc genere tantum ex symptomatis decerni potest. Haud raro, quomodo res se habeat cognoscitur, si quis rationem nanciscitur mensium maternorum aut sororis natu maioris, quum saepe mensium leges physiologicae eaedem in eadem familia sint.

Mensium vicariorum diagnosis plerumque facilis est, quum exstante amenorrhoea, moliminibus menstrualibus dilucide apparentibus, deficientibus haemorrhagiae sponte evadentis causis satis natura eluceat; aliis tamen conditionibus intervenientibus profusiones sanguineae apparere possunt, quod in muliere decrepita haud raro fit. Itaque origo mali, aegrotarum aetas, tempus, quo menses apparere solent atque symptomata cum illis coniuncta haec omnia, antequam liceat certam diagnosin constituere, examinanda et consideranda sunt.

# DE PROGNOSI.

Primum quod pertinet ad prognosin mensium retentorum, ea quidem pendet et ab iis rebus, quae malum effecerunt symptomatisque morbique longitudine et a constitutione victuque ipsius aegrotae.

Quo difficilius causae removeri possunt, eo iniquior in universum esse solet prognosis. Distinguendum autem est in hac re, utrum causae eiusmodi sint, quae menstrualis sanguinis profluvium impediant, an quae omnino menses tollant. Ex his melius licet ominari de proximo futuro mali. Etenim si quo modo pubertas, ne excoleretur. impedita erat, universi autem corporis habitus normalis manebat, hanc anomaliam paulatim dilapsuram procerto affirmari potest. Aliam

formam iniquiorem indicit res, quum sexualis quidem cultura normalis est, organismus autem universus aliquo modo facultati sexuali respondere nequeat. Hoc saepe facile removeri non potest, quum menstruali actione interveniente, quae numquam deesse solet, malum in dies ingravescat. Ubi vis quaedam externa nocuit, ad tempus quidem male de iis quae sequuntur ominandum est; qnum vero illa remota est, menses brevi post apparituros esse nemo infitiari potest. Praeterea, quae futura sunt, pendent a vehementia symptomatum: Quae si impetuosa sunt et paulo ante menses apparent, posteaque omnino evanescunt, sperari potest fore ut anomalia removeatur. Sin ea eiusmodi sunt, ut certas quasdam morborum formas in singulis systematis organisque ostendant nec plane remittantur post menstrua, sed paulo modo leniantur, prognosis in maiore iam dubio versatur atque ex morborum formis statuenda est. Peius est, quum singula corporis organa corripiuntur, quam quum symptomata ab affectione generali systematis alicuius proficiscuntur; in universum, qui nervos tentant, breviores esse dicuntur quam qui sanguinem et lympham.

Mali diuturnitas vim habet praeterea in prognosin statuendam, quod, quo vetustius illud, eo magis increscit quum omnino affectiones, a quibus profectum est, saepe augeantur ac difficilius sanari possint.

Postremo nobis respicienda est puellae constitutio, de qua sic statuimus: quo debilior illa est, eo iniquior prognosis, in pari autem periculo versantur eae, quae ad morbos nervosos, plethoricos, lymphaticos inclinare solent.

Iisdem iudiciis in statuenda prognosi amenorrhoeae in muliere ad pubertatem progressa, quae ex menstruis paullatim remittentibus originem ducit, res videnda est; tamen res docent, prognosin huius amenorrhoeae formae in universum magis dubiam esse quam prioris, quum raro morbi exitus prospici possit ideoque cautissime agendum sit.

Mensium subito suppressorum prognosis in universum mala est; morbi enim sequentes aegrotam saepe in summum periculum ac discrimen adducunt; etiamsi symptomata initio minus vehementia sunt, tamen bonam fore prognosin haud dicendum est, quam mensium suppressio in amenorrhoeam facillime commutari possit. Prognosis utique pendet a variis affectionibus.

Si praemature emaneant catamenia in muliere decrepita, plerumque iis, quae futura sint, non bene licet ominari; etiamsi enim periculosae ac vehementes morborum formae, quales celeriter apparere solent in pubere muliere, non proveniunt, tamen, ne maligni morbi cum sanguinis qualitate permutata coniuncti accedunt, magnopere verendum est.

Vicariorum mensium prognosis plerumque laudanda est, quum pauca exstent exempla exitus perniciosi. Quum vero haec anomalia longius producitur, semper metuendum est, ne organum correptum male afficiatur uterusque etiam quiete nimis diuturna prorsus iners fiat ideoque profluvium menstruale normali ratione restitui nequeat. Haec igitur in statuenda prognosi respicienda sunt.

# DE THERAPIA.

Inter eos morbos, in quibus tamquam in scopulis medicorum labores saepius franguntur, mensium etiam perturbationes numerandae sunt maximeque ex his amenorrhoea. Si in ullo morbo cum prudentia ingeniique acie agendum est, maxime eam adhiberi oportet in hac tam crebra menstruorum anomalia removenda. Neque enim raro erratum est in illa sananda; satis notum est omnibus, quam saepe abusi

sint medici imperiti emmenagogis illis, quae dicuntur. Peccarunt autem illi quidem empirici eo, quod neque causas neque complicationes, quas malum fortasse habebat, respicientes id unum elaborarunt, ut profluvium revocarent. Manifestum igitur est eos hac curandi ratione non modo nihil adeptos esse, sed etiam semper fere nocuisse tumque inprimis, quum nullum omnino mensium revocandorum indicium exstabat. Talibus medendi methodis factum est, ut therapia perturbationum menstrualium diu fidem amitteret et apud medicos, quorum multi illas sanari posse desperabant et apud mulieres. Unum ex iis, quod prosperae illius morbi curae saepe obstat, superstitio apud mulieres inveterata, domestica quaedam remedia in diversis terris, quin etiam in diversis familiis varia, atque hereditate ad progeniem semper transeuntia, menses turbatos in ordinem redigere posse. Difficillimum est, mulieres ab usu illorum remediorum interdum etiam in malam partem efficacium, avocare easque eo perducere, ut medici praecepta accurate sequantur. Quam ob rem, ut prospera sit therapia, et medici prudentia ingeniique acumine et aegrotae patientia opus est.

Therapiae ratio accurata bonaque consistit in indicationibus statuendis. Quam ob rem inprimis respiciendum est, directam mensium restitutionem non semper primarium esse indicium. Transeamus igitur ad primam, quam supra diximus, amenorrhoeae formam sanandum. Inprimis exquirendum est, quae causae hanc anomaliam efficiant, ad quarum naturam curandi ratio deinde accommodanda est. Quae quum haud raro proficiscatur a nimia irritabilitate, coniuncta cum magna animi agitatione ac robusta constitutione, aut si uno verbo haec omnia complectimur, a viraginitate, remedia nostra mitigantia ac temperantia ideoque plus minusve antiphlogistica esse oportebit. Quum status ille admodum est vehementis naturae, haud raro venae sectio eaque optime in pedibus est instituenda. Quo facto satis crebro non so-

lum affluxiones ad viscera, quae vertigines, aurium sonitus respirationem anxiam taediumque efficiunt, abiisse, verum etiam aliis remediis non adhibitis uteri functionem restitutam esse observatum est. Hoc remedium sequitur antiphlogosis in genitalibus ipsis irritatis adhibenda. Itaque quattuor vel sex hirudines portioni vaginali applicari aut totidem cucurbitulae internae superiori superficiei femoris imponi possunt, qua in re, ut quam plurimum potest, sangui effundatur, curandum est. Ad amovendas congestiones illas praeterea multum valent derivationes in cutem et intestinum, incitationes organorum et secretionis et excretionis, imprimis autem salium neutralium mitiorum doses etc. Interna praecipue remedia adhibeuda sunt lenientia et antispasmodica, quorum in numerum haec fere referenda sunt: pulvis aërophorus, potio Riveri, emulsiones et aqua laurocerasi, flores Zinci, Bismuthum; praeterea, sicubi opus est, narcotica vel nervina danda sunt; maxime commendanda est Camphora, quae nimium sensibilitatem imminuit neque functiones harum partium in universum debilitat. Denique Ipecacuanhae parvas doses, cito deinceps oblatas, bono fuisse effectu observatum est. Etiam pari modo regimen apte instituendum est; omnia, quae nimis irritant, veluti cibi incitantes ac potus, nimiae motiones, vehementes animi affectus et similia alia quam studiosissime sunt evitanda. Temperatura satis moderanda, magis humida, quam arida esse potest; spissus esse debet vestitus inferiorum extremitatum et abdominis, praecipue autem cibi sint, qui facile digeri possint nec nisi in cleribus recentibus, fructibus coctis, vitularum vel gallinarum vel columbarum carne consistant.

Quodsi asthenia, quam alteram amenorrhoeae causam supra commemoravimus, ut menses emaneant, effecit, sanandi methodus priori prorsus contraria eaque roborans sit necesse erit; accommodanda est praeterea ad astheniae gradum et diuturnitatem nec minus ad organa morbo cor-

repta. In nervorum affectione, cuius symptomata, acres capitis dolores, vertigines animique depressio, quae supra satis copiose exposuimus, adhibenda sunt remedia excitantia, ex quibus hoc loco cogitemus de Valeriana, Serpentaria, floribus Chamomillarum, Ammoniaco carbonico pyro-oleoso. Moscho, Camphora, Vino. Ad vehementes capitis dolores expellendos commendanda sunt acida mineralia, quorum praecipue laudandum videtur Elixir acidum Halleri. Inter optima vero remedia in virium defectione adhibenda numeranda sunt balnea tepida cautius utenda, quibus admisceri solent primo Alcalia carbonica, postea herbae aromaticae et roborantes. Quibus vel similibus remediis quum nervis debilitatis subventum est, ut corporis vires habitusque corroborentur, summae nobis curae sit orportet. Maximam vim iam habent China et Ferrum, quorum effectus multum augetur respondente diaeta; etiam balnea, quorum supra mentionem fecimus, magnae sunt utilitatis. Inter hanc curationem studiosissime retinendae sunt omnes res noxiae, quae aliquo modo nervorum irritabilitatem imminuant et organismi imbecillitatem sustentare possint; quales sunt: nimii animi corporisque labores, aegritudo, tristitia, onania, omnis praeterea extera vis adversa, veluti frigus,alia. Conditionibus secundis talibus individuis salubris alicuius aquae usus, quarum ut maxime idonea, Langenschwalbachiana maximae saepe utilitatis est.

Crebro evenit ut quum causae amenorrhoeae tractatio nostra paullatim amoveantur, menses per se appareant ac normaliter in posterum procedant. Quod quum rarius contingat, separata quadam, qua catamenia iuventur tractactione opus est, quae ne tum quidem praetermittenda, sed in virginibus, numquam antea menstruis, cautissime est facienda.

Optime faciunt, qui ad repellendam amenorrhoeam primum remedia externa adbibeant, quae, si opus erit, etiam internis, sed levioribus emmenagogis, quae dicuntur, sublevari possunt; excitantia enim quam maxime evitanda sunt

in hac amenorrhoeae forma, quum utero, tali irritationi haud adsueto, noceant potuis, quam prosint functionemque cieant.

Ex remediis externis primum cogitamus de pediluviis tepidis, quae etiam ut subsidium domesticum adhiberi saepe solent. Quorum effectum alii iique plurimi inde proficisci putant, quod sanguinem a superioribus corporis partibus in inferiores ducant et ita congestiones in uterum efficiant, quibus catamenia profluant; alii illum effectum eo consistere putant, quod circulationem in inferioribus corporis partibus aequabilem reddunt; Solent autem admisceri illis acria medicamenta veluti sinapis, cinis, sal. Aqua tamen, ut vere proficiant pediluvia genua adtingere debet, quum aliter fortasse nocere potius quam prodesse possint. Pediluvia autem semper utenda sunt, priusquam cubitum eatur, ut perfrictio, facile inde exoriens, evitetur.

Praeter illa summa persaepe utilitate sunt vaporationes ac bidetaria, quae dicuntur, quae eandem fere vim habent in circulationem, quam pediluvia; vaporationes sic commode instituuntur, ut aegrota in sella, in qua vas, infuso ex Chamomillarum et Sambucorum floribus parato completum, positum est, considere iubeatur; illa optime in „bidet", in quo herbae etiam aromaticae insunt, parantur. Bidetariorum loco etiam commendatae adhibitaeque sunt lavationes inferiorum omnium corporis partium, quibus maior circulationis harmonia ac vehementior attractio effici videntur. Nostra aetate radios calidae aquae, in uterum ascendentes, faustam habere vim observatum est. Ubi huius remedii usus hymenis praesentia impeditur, magnus satis alte praecipitans adductusque in regionem sacralem aquae frigidae radius adhiberi solet. Iam vero commendanda sunt acria quaedam medicamenta in vaginam iniecta, quae, quin efficacia sint, ab aliis in dubitationem vocatur. Adhibenda ea esse dicunt tertio die, priusquam menses exspectentur ac

post quamque iniectionem infusum illud decem quindecimve minuta in vagina remaneat necesse est. Plerumque Ammonium in eiusmodi iniectionibus adhibitum est et ita quidem, ut liquer Ammonii caustici (ʒI) in lacte tepido (℥XVI) solveretur; neque decoctum e sinapi paratum contemnendum est. Etiam commendatae prius saepeque adhibitae iniectiones in uterum ipsum propter periculum omnino rursum omissae sunt, quum post hanc operationem aut uteri colica, aut etiam metritis vel perimetritis oriretur. Aliter se habent medicamenta intestino recto iniecta, quae saepius prospero sunt effectu. Eiusmodi clysma componi potest ex Aloë (grX) et mucilagine (℥I). Apta sunt praeterea calida cataplasmata abdomini admota, quibus congestiones ad pelvis organa augentur. Novissimo tempore etiam vapores chloroformi, in vaginam ascendentes, adhibiti sunt. Experimenta adhuc tentata nequaquam inutilia fuere maximeque invitat hoc medicamentum ad nova facienda. Sunt etiam qui vim electricam esse efficacissimum emmenagogum dicant ac re vera experimentis iam pluribus id probatum repererint, alii contra, suis experimentis freti, ullo eam esse effectu prorsus negant, ita ut de ea re nihil adhuc certi affirmari possit.

Saepius etiam admotae sunt derivationes in cutem utero propinquam. Applicantur enim sinapismi vel vesicantia abdomini, circa regionem sacralem ac lumbalem, in interna superiore superficie femoris, in suris etc., aut adhibentur acres lavationes infrictionesve abdominis, siccae cucurbitulae, similia. Num vero haec sola profluvia menstrualia elicere possint, dubitandum videtur; quum vero adiuvent alia medicamenta, nonnulla tamen eorum commendanda sunt.

Magnam sui ut boni emmenagogi admirationem moverunt irritationes mammarum, impositis sinapismis ac vesicantibus, scarificationibus aut suggendi apparatu effectae, quum intima inter mammas ét uterum sympathia, insulto harum etiam ille excitari posse videretur. Quam sententiam veram

esse certis quibusdam exemplis comprobatum, attamen huiusce remedii fides non satis ab omnibus agnita est.

Vere probatum medicamentum, quo menses aguntur, consistit in hirudinibus portioni vaginali applicandis. Quae quum eo tempore adhibentur, quo symptomata affluxum menstrualem ad genitalia vere adesse ostendunt, facile fit ut sanguinis profusio ex hirudinum morsibus proveniens confestim transeat in secretionem sanguineam per plures dies continuam, qua molestiae aegrotae manifesto leniuntur quaeque certis quibusdam intervallis recurrendo menstrualem se esse declarat. Haec sanguinis detractio certe multo melior est, quam eae, quae haud raro in ano, labiis pudendis interioreque femoris superficie instituuntur. Cauterisationes quoque et portionis vaginalis et parietum vaginae argento nitrico fuso, illitus harum partium Iodi tinctura, Collodio, acido pyrolignoso crudo, denique ulla subtantia acri adhibita interdum efficaces sunt.

Postremo de uno quodam remedio etiam cogitemus, quod, etsi plurimis ineptum videri solet, tamen — satis enim usus docet — forsitan haud minimam vim habeat. Quod qui probant, arbitrantur ex separato sanguine menstruali contagium quoddam effluere. Multum igitur refert, ut aegrota, mensibus non apparentibus, catameniorum tempore cum alia modo menstrua puella aut cum muliere nupta in conditione eadem versante in lecto eodem condormiat. Facillima esse dicitur infectio inter sorores vel omnino inter adfines. Haud scio an sufficiat spongiolam recenti sanguine menstruali impletam vaginae imponere, aut inter labia pudenda alligare.

Dum ex his remediis externis, quae aptissima sunt in singulis, eliguntur ac adhibentur, simul interna emmenagoga lenia dari possunt. Praeter omnia curandum est, ut alvi deiectio quotidie fiat, quod aut clysmatis aut parvis Electuarii lenitivi dosibus efficitur· Saepe efficax est ut verum

emmenagogum Ammonium muriaticum, nisi, quod fieri solet, incommoda parat aegrotae, saepius deinceps repetitum. Dignus praeterea, cuius mentio fiat, etiam Tartarus boraxatus est, qui aptissime in radicis Valerianae vel florum Chamomillarum infuso solutus praebetur. Postremo inter haec mitia neque irritantia medicamenta referendum est Natron boracicum, quod in atonia magnam vim habet ad eam removendam. Praecipue in nosocomio nostro saepissime hoc quidem remedium adhibetur nec nisi rarissime nullo est prospero effectu. Praescriptum usitatissimum est, ut Borax (ʒij) in aqua destillata (℥vi) diluatur, cui solutioni, potius Adiuvans quam Corrigens syrupus Croci (℥i) addi potest. Haec plerumque sufficiunt, praesertim quum patientia neque medici neque aegrotae deest.

Plurimum tamen interest initia moliminum menstrualium accurate respicere, quo maior vis et externis et internis remediis exerceatur catameniaque incipientia quam optime adiuventur. Regimen, quod supra in indicatione causali diximus accomodandum est ad conditiones aegrotae neque unquam praetermittendum est praeceptum, ut per totum tempus, quo menstrua exspectantur aegrota lecto teneatur, quoniam aequabilem lecti calorem multum prodesse satis constat. Raro accidit, ut acriora emmenagoga, de quibus infra agitur, adhibenda sunt. Si non contingit, ut nostro tractandi ratione menses eliciantur, ad tempus satis habebimus incommoda, inde in universi corporis organismum redundantia, removisse. Summae autem difficultates obstant nobis in ea amenorrhoeae forma, de qua nunc disputabimus; haec sunt catamenia remittentia paullatim ac postremo omnino exarescentia in puellis aut mulieribus antea semper menstruis. Quam multa illam efficere possunt! Num qui morbus est, qui amenorrhoeam non subsequi aut adducere possit! Ipsa diagnosis causarum et accurata aestimatio symptomatum ac conditionis, quae inter ea et menstruorum anomaliam inter-

cedat, quae tamquam fundamenta therapiae nostrae esse oportet, vel peritissimo interdum magnos afferunt difficultates. Etenim ne in hac quidam forma profluvia directa via elicienda esse, vix non est, quod copiosius explicemus, quamquam haec ratio ne hodie quidem est repulsa imprimisque a mulieribus ipsis medicamentis quibusdam domesticis a maioribus hereditate acceptis adhibetur. Quum autem omnes causas enumerare longum sit, satis habebimus eas tantum commemoravisse, quae et gravissimae sunt et creberrime illam amenorrhoeae formam adducunt.

Post graves acutosque morbos, praecipue post febrem puerperalem catamenia plures menses emanere atque in postremo chronicorum morborum insanabilium stadio omnino tolli possunt. Stultum atque ineptum esse in his conditionibus id agere, ut menses restituantur, manifestum est. Commendandi sunt in hac re maior in dies corporis motus, frequentia ruris, cibi corroborantes, alvi deiectio clysmatis efficienda, pediluviorum usus. Ad hoc haud raro accidit, ut in puellis diu iam mentruis catamenia paullatim remittant ac postremo exhauriantur. Aegrotae male affectae et languidae sunt tristes variisque nervorum affectionibus subiectae; magis excitata sunt sexualia, menstruorum tempore valetudinis sensus omnino variat facileque inflammationes oriri possunt. Quae quum ita sint, hirudines ad genitalia applicatae prosperum habent effectum; accedere possunt- Ipecacuanhae parvulae doses ac, si res ita postulant, pulvis aërophorus, Chinium sulfuricum, cui apte exiguac Rhei doses adduntur et quam primum Ferrum est adhibendum, praecipue autem Ammonium muriaticum ferruginosum. Fieri etiam interdum solet, ut mulieres mirum in modum pinguescant; et corpus et animus magnopere iners est, sexualia minus excitata, obstructiones excipiunt diarrhoeam, molimina coniuncta sunt cum molestiis varii generis. Qui morbus ut removeatur, opus est motu mediocri sub divo, carnis vinique

usu; pinguibus vero atque amylaceis cibis, cerevisia calidisque potionibus, languorem afferentibus, quam minime fruendum est. Ex remediis internis Magnesia cum Ipecacuanha, Chinium cum Rheo coniunctum, maxime idonea sunt; balnea Egeriana, Schwalbachiana, Pyrmontania interdum commendanda. Quarta denique causa est suppressio mensium externis rebus noxiis adducta, facile affluxus oriuntur, etiam nervosa symptomata plus minusve sunt expressa. Huius morbi sanandi ratio in universum antiphlogistica esse debet remediaque adhibenda sunt: Nitrum in aqua limonata resolutum et ad promovendam diuresin aquae, acidum carbonicum continentes, veluti Seltersiana, ad temperandam alvi deiectionem aqua amara sulfurica.

Dum ita elaboratur, ut momenta causalia reprimantur, nequaquam praetermittendum est, quin adhibitis quae dicuntur emmenagogis bene electis profluvia menstrualia eliciantur.

Omnia in superiore disputationis parte enumerata remedia externa, quae Attrahentia nominari possunt, hic quoque sine dubio adhibere licet. Quam ob rem restat id unum, ut accuratius ac copiosius disputemus de internis quoque emmenagogis, quae vulgo Pellentia vocantur, propterea quod iis propria quaedam vis in uterum incitandum tribuitur. Diversissima medicamenta hac in re proposita, quorum multa iam obsoleta sunt. Emmenagoga, quae quidem nunc cognita adhibentur, haec sunt: Herba Sabinae, remedium iam multo ante hoc tempus et apud medicos et apud vulgum usitatissimum; cuius vis oleo aetherico tribuitur, quod terebinthino simillimum esse dicitur. Quoniam vero in universum excitat, sanguinis circulationem multum accelerat propriamque vim habet in uterum, verum renes quoque atque, etiamsi minus, hepar simul afficit, hoc remedio non utendum est nisi in torpore. Itaque quum cautius adhibendum sit, novissimo tempore Sabina multum fidei amisit, propterea quod minores doses non tantum proficiunt, quantum qui utuntur, proficere

id volunt, maiores vehementem ventriculi, intestini, hepatis renumque irritationem adducere possunt. Raro adhuc pulverisata offertur et optimo quidem in infuso ita, ut una duaeve drachmae Sabinae accedant ad quattuor sexve uncias aquae destillatae, cuius solutionis altera quaque hora, quantum continet cochlear, praebetur. Etiam oleum Sabinae ut emmenagogum admovetur darique solet usque ad quaternas guttas in mucilaginibus; quum vero acris extractiva materia ei desit, effectus multo minor est. Ex eodem oleo spiritu vini adhibito paratur tinctura Sabinae, quae usque ad sexagenas guttas pro dosi praeberi solet eandemque fere vim exercet. Magno languore, nervis valde affectis, Sabina cum Valerianae Cinnamomique tinctura commendari potest.

Secundum post Sabinam obtinet locum Aloë. Hoc quoque remedium, dosibus usitatis praebitum, pulsum accelerat ac praecipue maiorem in organa abdominis affluxum sanguinis contrahit, unde est effectus, quem habet in intestinum crassum apparatumque sexualem quique sensu quodam caloris in inferioribus abdominis organis consistit. Quae vis „Aloëtino" tribuitur, quod recipitur in sanguinem, unde in nervos organorum in pelvi sitorum vasaque effectus oriundus est. Quamquam permulti sunt, qui ob eandem causam, atque in Sabina ab Aloës usu dehortantur, tamen non plane negligi potest saepiusque veluti in adynamia careri ea nequit. Tempus erat, quo Elixir proprietatis Paracelsi efficacissimum remedium amenorrhoeae habebatur. In proponenda Aloë cavendum tamen est, ne plus gr. XV—XX porrigatur.

De nullo autem remedio adeo dissentiunt scriptores, quam de Secali cornuto. Quicumque huius medicamenti effectum physiologicum novit, mirari debet, quod ad menstruale profluvium eliciendum commendabatur, quum probatissimum ad metrorrhagias sistendas remedium id esse constet.

Attamen viri sunt summa auctoritate, qui in amenorrhoea id prosperum effectum habuisse profitentur. Quod ita

solum interpretari possumus, ut non adhibendum id esse dicamus, nisi quum uteri languor causa est suppressorum mensium ac deinde et corroborationem languidarum uteri telarum et contractionem ideoque separationem sanguinis tardius profluentis illud efficiat. Accuratiores denique indicationes illius remedii usus usque ad hoc tempus nondum extant nec nisi experiendi causa adhiberi potest. Praeterea Myrrha efficax esse Pellens putabatur, ac crebro varioque usu ac prospero saepe effectu confirmatum est propriam quandam vim eam habere in uterum. Inprimis autem hoc remedium commendandum est, quum atonia uteri satis expressa, ut menses coërceantur, efficit.

Magnopere haud ita multo ante Iodum ut emmenagogum laudabatur, quum „Iodina“ uteri functionem excitare putaretur. Neque vero, quin haec vis ei ut propria non insit, vix dubitari non potest; attamen constat etiam profluvium menstruale crebro eo remedio adiutum esse. Credendum est igitur, in hoc genere amenorrhoeae causam talem fuisse, quae vi Iodi propria pelleretur, veluti tumores uteri, praesertim quum et externe et interne adhibeatur in forma Iodi tincturae.

Veterem famam pellentis remedii habet Rubia tinctorum novissimoque tempore crebro adhibitum prospero fuit effectu. Qui vero non satis exploratus est, multum quidem illud remedium omnino nocere nequit, quoniam certa corporis organa non irritat, ut plurima alia emmenagoga.

Praeterea inter remedia prospere adhibita numerandum est Strychnium, maxime exiguis dosibus usitatum, in constitutione prorsus torpida. Efficax quoque fuit tinctura Croci et Galbani, paribus partibus coniuncta, cuius compositioni viginti trigintave pro dosi guttae simulque infusum ex herba Sabinae floribusque Millefolii sumi possunt; laudatur etiam oleum therebinthinae, sed apud eas solum mulieres, quae debiles sunt atque in quibus congestiones oriri non solent. Prius

Helleborus niger coniunctus cum Ammonio muriatico dari solebat nec raro quidem sine effectu. Haec emmenagoga commemorasse sufficiat quoniam omnia medicamenta, quae commendata nunc plerumque oblivione obruta sunt, enumerare longum est. Quare iam transeamus ad therapiam mensium subitae suppressionis, quae propter vehementia saepeque periculosa symptomata prorsus alia esse debet. Hac in re praecipue duae indicationes exstant: primum quomodo morbi symptomata removenda, alterum quibus remediis catamenia sint restituenda; utra indicatio sit superior, ab singulis pendet. Si symptomata ex supressione orta modica sunt nec in certis quibusdam organis sedem collocatura videntur, ut removeantur satis erit, menses statim elicere ad praecepta supra exposita. Sin autem vehementes vitamque periclitantes affectiones apparent, quam celerrime symptomata perniciosa removenda sunt. Quod eo fieri solet, ut quam primum antiphlogosis adhibeatur et quidem venae sectio in pede. Hac ratione non utendum est in mulieribus infirmis semperque aegris, quas frigidas, paene sine pulsu, respiratione diminuta atque evanescentibus fere cordis ictibus invenimus. Verum etiam venae sectio in pede instituta, quae secundum rationem laudanda esse videtur, multam saepe moram facit nec nisi paululum sanguinis elicit; quare quum in magno discrimine versatur aegrota, venaesectio ex brachio instituenda est, in qua sanguinis maior multitudo profluere solet. Simul opperiuntur surae sinapismis atque octo vel duodecim hirudines genitalibus applicantur. Inter sanguinis effusionem calidi vapores genitalia versus ascendant, qui apte e floribus Chamomillarum infusis proveniunt, aut tegantur genitalia calidis cataplasmatis, quae etiam post sanguinis profusionem continuentur. Abdomen apte aromaticis liquidis infricetur semperque calidis pannis involvatur. Internum remedium hic Opium adhibendum est, quod confestim post venaesectionem dimidio vel toto grano pro dosi praebetur. Praeterea clysmata ex Asa foetida ple-

rumque singulari quodam effectu sunt. Maximo periculo repulso idonea est emulsio cum Nitro atque extracto Hyoscyami, cui si res ita postulat, Magnesia sulfurica additur aut parvae Ipecacuanhae doses interponuntur.

Etiam si nervosa ac spastica symptomata certe adsunt venae quidem sectione, non autem hirudinibus careri potest. Tali conditione Opium in tincturae Opii forma apte coniungitur cum paribus partibus liquoris Ammonii succiuici ac tincturae Valerianae aethereae, cuius compositionis singulis intervallis quindecim vel viginti guttae praebentur. In corporis affectionibus, quae appropinquant ad paralysin, commendandae sunt Camphorae magnae doses, et quidem singulis horis quinque sexve grana, quibus adiungatur Moschus. Cuius usus continuetur, dum symptomata appareant, quae illa remedia efficacia fuisse indicent- Deinde aogrotae interdum aliquantulum vini ferventis instillari, denique in calido atque aromatico balneo ipsa cautissime collocari potest. Quo modo, imminenti periculo remoto, menses restituantur, supra dictum est.

De therapia catameniorum praemature emanentium in aetate provecta pauca addenda sunt. Quum mensium finis appropinquet necdum magnum eorum momentum sit, haud commendandum est, id eniti, ut catamenia eliciantur, sed alvi evacuationibus efficiendum est et diaeta ieiuna, ut incommoda, quae inde in universo corpore oriri possunt, repellantur. Huc pertinent Ammonium muriaticum, derivationes per intestinum, perpetui fonticuli; ne antiphlogosi quidem, quae aptissime in ano instituitur, careri poterit. Alias Chinae et Ferri usus efficacissimus erit: ceterum therapia a singulis affectionibus pendet.

Restat denique ut in extrema disputationis nostrae parte pauca dicamus de medendi ratione in vicariis mensibus. Qua in re tenendum est, sanguinis profluvium ex loco quidem anormali provenire, tamen necessarium ideoque non

supprimendum esse, priusquam amenorrhoea sublata sit. Hoc ut praescriptum valet, nisi sanguinis effusio tantus est, ut ad verum organi correpti morbum progressa sit viresque corporis magnopere frangat, obviam ei eundum est. Quam ob rem inter profusiones aegrota quieta maneat, quamlibet et corporis et animi excitationem vitet, praecipue omnia, quaecumque maiorem sanguinis affluxum ad organa correpta efficiant, veluti exagitantes cibos ac potiones. Quum vero nimio plus sanguinis ex praestanti aliquo organo, veluti ex pulmonibus profluit externis, quae supra commemoravimus, remediis derivantibus statum meliorem adduci oportet; ex internis remediis hic quoque Opium parvaeque Ipecacuanhae doses adhiberi possunt. Praecipua vero indicatio et gravissima manet restitutio mensium, cui optime satisfieri potest in temporum intervallis et paulo ante menses exspectandos, atque ex iis praeceptis, quae supra exposuimus. Cavendum tamen est, ne nimis audacter adhibeantur acria illa emmenagoga, quoniam in mensibus vicariis nocere potius, quam prodesse multa exempla nos docuerunt.

# VITA.

Natus sum *Ioannes Baptista Theodorus Weiler* in pago Mehring, ad Mosellam sito, die undecimo mensis Novembris anno XXXV huius saeculi, patre *Michaeli Weiler*, qui mihi ante paucos annos saeva morte ereptus est, matre *Margaretha* e gente *Schmitt*, quam iam a pueritia prima mortuam valde lugeo. Fidem confiteor catholicam.

Duodecim annos natus Gymnasium adii Trevirense et per ultimum annum Bonnense frequentavi, quod auctumnali tempore anni MDCCCLVI testimonio maturitatis instructus reliqui, ut ad almam literarum regiam universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam transirem artique medicae me traderem.

A rectore magnifico *Deiters* in civium academicorum numerum receptus apud *Kilian* prodecanum spectatissimum nomen professus sum et per quadriennium ad medicinae studia incubui. Quo in studiorum tempore operam dedi his viris illustrissimis: *G. Bischof, van Calker, Caspary, Landolt, Noeggerath, Plücker, Treviranus, Troschel,* philosophis, medicis *Boecker, Busch, Deiters, Helmholtz, Kilian, Naumann, Pflüger, Schaffhausen, Schultze, de la Valette, C. O. Weber, M. J. Weber, Wutzer.*

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam maximas semperque habebo.

# VITA

Natus sum [illegible] in pago [illegible] ad [illegible] die [illegible] mensis Novembris anni [illegible] huius saeculi, [illegible] [illegible]

[illegible] anno [illegible] MDCCCLVI [illegible] universitatem [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] gratias semperque habebo.

# THESES.

1. Graviditas molaris non est diagnoscenda.
2. Dokimasia pulmonum non sufficit ad infanticidium constituendum.
3. Morbi valvularum cordis sthetoscopio solo sunt diagnoscendi.
4. Ad cataractam tollendam methodus variari debet.